



Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

VI. De Tutone Episcopo spiritu prophetiæ ditato, & de Rege Chuonrado apud S. Emmerammum pro incauta iußione morbo grauato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

margaritis per pro pugnacula insertis, deliciofissime com-
pto. Hæc autem cum largifluæ Principis deuotioni tanto
patrono minime sufficerent, pro dono addidit argenteam
craticulam præ dicto ciborio subponendam. Adiecit & pal-
lia coloratu paria & varia, inter quæ vnum vnus texturæ,
longitudinem habuit cubitorum triginta. Verum his quid
diutius immorandum? Demum quippe apud sanctum
Emmerammū sibi iussit præparari mausoleum, quo mor-
tem obiturus, eum benignius in Ecclesiis haberet patro-
cinantem, quem in terris vtcunq; viuens & valens sui suo-
rumq; optauit, imò fecit fore potentem. Huius tui mini-
steriarchis animæ & nihilominus adhuc tibi famulantium
cateruæ potenti prece apud omnipotentem succurre bea-
te Emmeramme.

VI.

Sub præfato itaq; principe TYTO sancti Emmerammi
monachus Ratisbonensi præsulabatur Ecclesiæ, qui à septi-
mo anno imperij illius, vsq; ad duodecimum regni HEN-
RICI SAXONIS, hac in vita permansit. Huius ergo anteces-
sor CHYNRADVS Rex, exigentibus publicæ rei vtilitatibus
ad REGINAM ciuitatem deuenit: In qua rebus, quarum gra-
tia venerat profligatis, ex antiqua regum consuetudine
commonitus, accessit ad Ecclesiam B. Emmerammi, quasi
licentiam accepturus FRANCIAM remeandi. Vbi Princi-
pium sepulchra visitanti ARNOLPHI scilicet Imperatoris
nec non LVDOVICI, qui puer immatura morte è medio
excessit, à Capellanis male suggestum est, vt regio iure ac
potestate suorum, vtpote qui fuerit, antecessorum sibi ven-
dicaret præscriptum magni precij librum. Quem cum præ-
nominatus Episcopus dare iussus, sed hoc facere Martyris
timore nullatenus esset ausus, minis tandem ad id ventum
est, vt librum eundem coram Principe inuitus in altari
expo-

Heinricus Sa-
xo.
Conradus
Rex.

exponeret. Cui tamen imprecatus est dicens: Debitor B. Emmerammi sit in die iudicij, qui hunc vñibus eius subtraxerit feruitij. Quod quantum valeret, cito experturus Rex, præcepit eum temere tolli & efferri. Cumq; ascendisset equum prope monasteriũ incurrit dysenterix morbum. Quo tremefactus, ac in se facti commercium sentiens percruciatus, eodem momento restituit librum beato Emmerammo, inde secum ferens dolorem, quo in FRANCIA vltimum clausit diem. Tunc venerandus Antistes tuto Christo adhærens in Martyre suo, coronis Principum CAROLI, CAROLOMANNI, ARNOLDI, addens de suo quantum potuit, B. Emmerammo aureum altare parauit, venustissima forma decorauit, mille gemmis ornauit. Hic atqui cæcatus corpore, sed illuminatus mente, castigatæ infirmitatis necessitatem vertit in animi augustam virtutem; & nequaquam valde depensans priuatum se luminis, quod sibi commune esset cum muscis, talem spiritus habuit consolationem, vt per eum ventura præuideret, ac ea, quibus minimè intererat, facta patenter ediceret. Constitutus ergò apud LVNÆLACVM triginta ferme RASTIS à Ratisbona distantem grande in ea quadam die factum suis indicauit incendium. Huius rei non solum probato, sed etiam totius in eo pietatis testimonio, exemptus e medio, vt nobis dictat bona spes, migravit ad cælicas sedes: ibi quem hic dilexit patronum suum semper visurus Emmeramum. Cuius propitia intercessio famulis obtineat apud lumen verum illuminationem oculorum nostrorum, ne vnquam mortis obdormiamus in portis.

VII.

Postquam monasterium beatissimi Martyris Emmerammi, quod prius extra fuerat, cœpit esse intra muros RATISBONENSIVM ciuitatis, quos ARNOLFFVS Dux, inter

*Lunelacum
Mansee.*

Arnolfus D.

G

optima-